DE

# DELIRIO TREMENTI.

**DISSERTATIO**

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

**FRIDERICA GUILELMA**

UT SUMMI

**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XI. M. APRILIS A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**SIGMUNDUS SIMON FREUND**

SILESIUS.

**OPPONENTIBUS:**

J. HERSCHEL, med. et chir. Dr.

M. LIEBERMANN, med. et chir. Dr.

B. HELLWITZ, philos. Cand.

**BEROLINI,**

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

Virgil.

VIRO

CLARISSIMO, ORNATISSIMO, HUMANISSIMO

# FRANCISCO LISZT,

DOCTORI PHILOSOPHIAE, CONSILIARIO AULICO, MODERATORI CHORI MUSICI VIMARIENSI, ORDINIS PRO MERITIS, LEGIONIS HONORARIAE, ORDINIS DOMESTICI VIMARIENSIS ET GOTAENSIS, LEOPOLDI, ALIORUMQUE HAUD INFERIORUM EQUITI, MULTARUM SOCIETATUM MUSICARUM DIRECTORI ET SOCIO HONORARIO, ACADEMIAE ARTIUM LITERARUMQUE BEROLINENSI PLURIUMQUE SOCIETATUM SODALI,

HOCCE AMICITIAE MUNUSCULUM

NEC NON

PARENTIBUS

D I L E C T I S S I M I S

IN PERPETUUM SUMMOPERE COLENDIS

HASCE

QUALESCUNQUE PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

## DE NOMINE.

Morbò varia indita sunt nomina, velut Encephalitis tremefaciens, J. Frank Encephalitis nervosa, Delirium tremens Sutton — quo nomine nunc semper utitur, — Oenomania, Erethismus criticus abdominalis, Febris nervosa potatorum, et praeter alia Mania a potu Barkhausen, — quod nomen censeo aptissimum, nam non solum causam morbi, sed etiam symptoma essentiale, nempe imaginationis et judicii depravationem indicat; Phrenesia potatorum (Albers).

## AETIOLOGIA.

Opiniones de morbi sede, aut de ejus natura valde variae, quamquam non solum causa proxima, sed etiam affectio, quae est nervosa, manifesta est. Attamen Stokes, exempli gratia, ventriculi inflammationem efficere delirium tremens credit; Toepken autem jam vidit nervorum affectionem esse primariam, et postea demum alia corporis systemata corripi. Sed constat causam proximam esse abusum spirituosorum, et imprimis spiritus frumenti, et vini e tuberibus solani tuberosi expressi, quia magnam olei (Fuselöl) copiam con-

tinet, quod ad morbum provocandum adjuvat; igitur ex abusu vini morbus rarissime exoritur.

Quod attinet geographiam, in omnibus terris invenitur, quamquam ubique societates abstinentiae et temperantiae ortae sunt; sed magis in terris frigidis, in Anglia, in Russia, quod coeli natura ad vini usum homines incitat.

## SYMPTOMATOLOGIA ET DECURSUS MORBI.

Est morbus aucta medullae spinalis et cerebri sensibilitas, et quidem minuta irritabilitate, progrediente ex irritatione plexuum nervorum abdominalium spirituosis, praecipue hepatis encephalum versus, sanguinis actione aut non adaucta, aut rarius aucta; nec nisi somno continuo, critico, etiam per plures dies durante discernitur.

Duas discernere licet species, alteram acute, alteram chronice decurrentem.

### A. Delirium tremens acutum.

In symptomatum decursu discernenda sunt:

a) Stad. prodromorum, constitutum partim symptomatibus systematis affecti hepatici, appetitu prostrato, gustu alienato, amaro, vomituritionibus, vomituque praesertim matutino aegri adhuc sobrii; oppletione scrobiculi cordis, hypochondrio dextro intumescente, atque sub attactu nonnunquam dolente; retentione alvi, aut, ut a nonnullis observatum, alvo laxa, quae quidem symptomata non semper sunt constantia, quum in nonnullis

ex affectione morbosa nervi vagi ejusque anastomoseos organa thoracica praecipue laborent, aut affecto lienis plexu hypochondrium sinistrum affectum sit.

b) Stad. acmes haec symptomata constituunt:

Inquiés, anxietas a negotiis, quae neglecta opinans aeger ipse perficere conatur; aegrotus impetuosus evadit, nec vero malignus contra circumstantes, et placide monitus prompte obedit. Omnes tum ingenii, tum voluntatis, tum animi functiones perturbantur; dolore parum afficitur, obtusam imaginem tumultus spectare licet interni; frons corrugata timidi instar, mox audacis prae se fert speciem, itemque oculi alienati nunc ignavi, paulo post truces circumvolvuntur, et excitatione paullum rubent; facies flavescit.

Deliria simul accedunt, indolis singularis, continua. Morbo minus vehementer decurrente aeger est semisomnis, ex delirio facile excitandus facileque recidens. Natura delirii est monotona, et paucae sunt ideae, quae aegros occupant, plerumque se in alienis versari locis, aut cum bestiis conflictari, aut omnia contra semet ipsos agi credunt. Artificium et negotia consueta aegrotos continuo vexant.

Accidente vero systematis vasculosi in encephalo irritatione indoles omnino mutatur delirii, nunc furiosi, typhomanici, ut in febri nervosa, locum affectionis praecipuum in cerebro tenente, evadentis. Attamen morbo non complicato patiens aliquid dijudicare videtur, quum male tractatus indignetur, aut morbo peracto reminiscatur pristini tumultus.

In ore semper tremor et morsus labiorum; iste tremor

artus semper commovet, quos ne per momentum quidem fixos tenere valent; semper manibus negotia sibi parant, lintea lecti carpentes, aut captantes, quasi bestiolas venatum irent. Lingua nonnisi suspicione porrecta tremulat, et ut paucis dicam, per totum corpus ille tremor, illa inconstantia vagatur, ut in lecto situ erecto se tenere non valeant.

Omnes porro aegri actiones mobile aliquid habent et jactatum.

Apparatui nervorum adnumeranda denique sunt: subsultus tendinum, singultus, vertigo, obnubilatio oculorum, auditus obtusus et alia.

Postremo symptoma annectendum adhuc constantissimum: sudores simul cum delirio apparentes. Sunt autem illi profundissimi per totum corpus manantes, praecipue largi in capite et in madente facie, specificum edentes odorem acidulum, et tenaces ac glutinosi.

Symptomata systematis vasculosi, quae ad morbum nonnunquam accedunt, sunt ea congestionum simplicium ad caput, morbi decursum non perturbantium et tantummodo oculis magis rubentibus et facie magis turgescente conspicuarum; aut vehementius in cerebrum appulsae et in inflammationem vergentes, morbum typho a quibusdam nuncupato haud dissimilem complicant, deliriaque dein existunt furibunda, facies rubra, obnubilatio oculorum, susurrus aurium, vertigo, calor cutis mordax et alia.

Morbo minus complicato pulsus ratio parum abnormis, et tendinum subsultu aliquantulum insistente arteriam paullo tensiorem et frequentiorem sentias. Caetera febris symptomata desunt. Saepissime delirium tremens complicatum est

cum pneumonia, cujus symptomata non tam apparent, ut sine explorationibus physicalibus cognosci possit; quam ob rem vere dictum videtur: „Pectus delirio tremente correpti semper stethoscope et percussione perscruteris.“ Non raro complicatio adest cum rheumatismo acuto; rarius cum Scarlatina, quam complicationem Sutton observabat.

Morbo autem ob magnitudinem non intercipiendo aeger comatosus evadit, cerebrique vita exhauritur; aut accedunt congestiones secundariae versus encephalum et inde alii exitus lethales.

### B. Del. trem. chronicum.

Jam Angli hunc morbi decursum discreverunt, et ego quoque casum observavi, qui hanc speciem existere valde confirmavit. Aegri isti et iidem potatores, prae ceteris huic hominum generi propriis affectionibus, tremorem praecipue jejuni accusant, quominus negotia manu strenua peragant, ipsos impedientem; gressus vacillant, et inter sese pedes jactantur, ebriorum instar; plerumque in statu versantur semisomni, facile irascuntur, cutisque imprimis capitis et faciei sudore glutinescit. Caeterum symptomata systematis hepatici affecti exquisita. Ut in plerisque morbis chronicis et hic impetum occasione data peragit acutum cum omnibus supra enumeratis symptomatibus.

## DIAGNOSIS.

Confundi potest morbus cum encephalitide, meningitide, typho cephalico et mania. Discrepat autem

a) ab encephalitide defectu symptomatum febrilium, delirii natura, quod furibundum et multifarium in hoc, in illo malo autem monoton est; aegro lucida perhibentur intervalla; nec vero est exacerbationis et remissionis morbi vasculosi proprietas, nec sensuum acuminatio. Causae dein, vita aegrotantis, tremor, subsultus tendinum, aliaque symptomata nervosae affectionis discrimen sistunt sat manifestum, praecipue cum adjunxeris sudorum indolem et quantitatem, quae multum abhorrent a criticis encephalitidis decrescentis.

b) a typho cerebrali causis; typhum saepissime ex deprimentibus aut psychicis aut materialibus affectionibus exoriri observamus, delirium tremens vero excitantibus. Decurrit typhus per stadia distincta, subinflammatorium, nervosum et paralyticum et tempus magis protrahitur, dum phrenesis diebus tribus ad octo usque perdurat. Febris nervosae dein symptomatum defectus, delirii natura, tremores sudoresque diagnosin conficiunt distinctam.

c) a mania discernitur difficilius. At ecstasis maniacorum tanta plerumque, quanta permutatio pristinae cogitationis et sensationis et actionis, quum in delirio trementi aeger quisque ex suis trahat relationibus deliriorum materiem. Prodromorum maniae series, agitatio in systemate vasculosa et facie rubente atque oculis minantibus, inspirationes vehementes desunt in delirio trementi; dein in mania sunt aegri distracti, oculique plerumque fixi morbum manifestant. Jactatio aegrorum, facilitas motuum deest in delirio trementi, contra tarditas quaedam et oscillatio et gravedo, illaque praecipitatio in voluntate

tantum; aeger titubat; in summa porro ecstasi aegrorum vox alienata, delirium furibundum, nullo modo discutiendum; vestimenta neglectata aut discerpta aut phantastice exornata, crinium et faciei turbatio aliquid discriminis perhibent.

## SECTIO CADAVERUM.

Hucusque adeo manca instituta est, ut perpauca observata, morbi indolem methodo negativa tantum prodentia, enarrare dubitem. Cerebri vasa, imprimis plexus choroidei, venaeque occipitales aliquoties repletae sunt repertae, cerebrique substantia pulti subsimilis et in ventriculis seri quidpiam; massa medullae spinalis in inferiore parte, praecipue cauda equina adaucta et mollis. In hepate conspexere medici alia vitia, uti mollitiem praeternaturalem, tubercula. Caeterum ex anatomia pathologica tunc demum clarius aliquid prodibit, quum physiologi cerebri vitam specialem eruerint, quod bene procedat!

## CAUSAE:

Sunt praedisponentes et occasionales.

a) Praedisponentes: sexus virilis; inter aegros circiter duodecim decem invenies viros. Aetas provectior, plerumque annum inter quadragesimum et sexagesimum; temperamentum praecipue cholericum; vitae ratio et imprimis spirituosorum abusus potuum; affectiones cerebri praegressae aut idiopathicae aut sympathicae, uti post scarlatinam malignam.

b) Occasionales. Omnia, quae actionem cerebri irritant, praedispositione existente, morbo excitando idonea; igitur morbum provocari videmus crapula, quae gravissima causa est occasionalis; laesionibus aliis symptomatibus nervosis complicatis, quales sunt laesiones capitis; etiam ossium fracturas morbum excitasse legimus apud Anglos. Item nascitur delirium tremens affectionibus medullam spinalem debilitantibus, secundum quas cerebri actio adaucta morbum provehit, uti post hemiplegias, hydrorrhagiam; erroribus in motu animali, praecipue systema animale irritantibus; ira, cujus tumultum tales homines plerumque spirituosis conantur sedare: exercitationibus mentis immodicis, excessibus vigiliarum.

## EXITUS.

a) Sanatio perfecta intrat aegro per somnum; sed quietum, ut criticus sit, esse oportet et largum, non perturbatum; saepissime etiam crisis per alvum intrat largius motam. Morbus autem, licet ad valetudinem regressus, recurrendo tamen facillime opportunus est; nonnunquam vero etiam per lysin solvitur, somno non continuo et tremore paullatim tantum evanescente, atque sudoribus sensim sensimque mitigatis.

b) Valetudo ex parte tantum redit, tum laesis adhuc cerebri aut animi aut voluntatis functionibus, tum tremore, gressu vacillante, praecipitatione aut sudoribus non penitus sublatis.

c) In alium exit morbum

1) accidentibus versus encephalum congestionibus cum febri typum prae se ferente nervosum, morbum a quibusdam typhum cerebralem nuncupatum; tunc vero totius morbi adspectus permutatur. Delirium, ex quo aegrum frustra excitare conaberis, magis furibundum evadit et continuum; facies, oculi participant; linguae et dentium fuligine, cutis calore mordaci nervorum degenerationem facile dignosces;

2) congestionibus passivis, ut dicunt, apoplexiam simul complicantibus;

3) depositionibus aquosis in encephalo, aut in cavo columnae vertebralis, unde pareses.

d) In mortem videmus abire, aut exhausta cerebri vita morbi magnitudine; symptomata acumen assecuta subito mitigantur, exceptis sudoribus, et convulsionibus accedentibus aeger capite reclinato exspirat; aut morbo evoluto typhoso saepissime exitum facit lethalem vel apoplecticum; aut necat quantitate seri in cerebro effusi.

Perdurat morbus, simpliciter ille quidem decurrens, per triduum ad octo usque dies; aliter eo remoto vita integra florere non valet; at symptomata possunt per longum tempus existere, praecipue tremor, vertigo, rarissime sudores.

## PROGNOSIS.

Non est faustissima, quum ob morbi magnitudinem, tum ob dignitatem organi affecti; at malum ab initio jam cognitum et congrue tractatum plerumque bene decurrit. Prognosin vero optimam morbus offert simplicissimus; congestiones

illam perturbant, quum remedia administranda coerceant et periculum, ne status excitetur apoplecticus, advehant. Infaustissima autem complicatio cum febri illa nervosa cerebrali, quae mortem plerumque parat. Juvenes porro, quorum cerebrum in evolutione est, magis periclitantur quam senes, quorum organa abdominalia, morbi participantia, rigida sunt et quasi immobilia. Morbi insultus iterati periculum augent.

Passionibus prognosis praecipue obnubilatur; uti exitus protractorum sudorum aut tremoris aut vertiginis, quae periculum, ne morbus recrudescat, adducunt.

## THERAPIA.

Ex morbi natura et complicatione fit.

a) Indicatio morbi; cum vero sit excitata medullae cerebri actio, indicatio erit sedandi, quam optime secundum experientiam explet opium (1). At ejus applicationi in multis aegris venaesectionem praemittere cogimur, sed caute, quod morbus facile in collapsum transgreditur; si turgor et congestiones in juvenibus robustis seorsum adsunt, quibus remotis heroice opium applicans excitationem nervosam plerumque tolles, si caute inchoans ad effectum usque porrexeris. Angli interne adhibuere in forma tincturae vinosae; certe ob aegroti consuetudinem spirituosorum; semper autem in substantia postea omnibus fere aegrotis illud dare conati sunt.

(1) Th. Sutton, Abhandlung über das Delirium tremens. Aus dem Englischen von Ph. Heineken, Bremen 1820.

Cum vero sit complicata in casibus plerisque obstipatio alvi, quae criseos partem perficere debet, atque obstipatio otii abusu admota, ut experti monuere viri, difficilis sit remotu et facile, remedio licet non adhibito, congestiones, opii usu interno adhuc auctae, excitentur, et opium, caeteris remediis ob abdominis affectionem, uti calomelani, salibus conjunctum, effectu partim privetur, et cutis sudans magis etiam invitetur, applicationem extrinsecus sub forma unguenti proposuerim, quum fructum viderim laetissimum. Si autem alvi dejectio forsan copiosa accedat congestionesque adsint, tunc intus applicatum prospere cedet, dummodo omittatur, turgore versus encephalum cito. Quantitas vero opii applicandi designari nequit, quoniam tales aegroti immanem ferunt. Attamen providere debemus, ne, ut observavit Armstrong, nimia quantitate mors apoplectica adducatur.

Quum de morbi natura sermo esset, jam monuimus, systema affectum esse imprimis hepaticum, quod igitur simul respiciendum est; at hisce remediis morbum, ut nonnulli credunt, profligare nobis minime continget, complicationem illam tantum removentibus; aegrorum plurimorum aetate jam provectiorum consensus inter abdomen et cerebrum non tantus, quantus infantum est, ut derivare a cerebro queamus. Nihilominus maxima adhibenda cura, ut alvus continuo dejiciatur heparque liberetur, remediis leniter aperientibus, clysmatibusque emollientibus, quae calomelani praestant, quod diutius applicatum salivationem, atque idcirco turgorem versus encephalum excitet.

Itaque congestione remota alvoque aperta, opii, donec agat, applicatio in morbo simplici sufficiet, regimine ordinato

adhuc accedente. Cibos modice porrigas, nec qui retineant alvum; potus non sit tepidus, ob transpirationem cutaneam, nec uti Angli monent, excitans, ut vina nobiliora, quippe quae statum adducant morbo subsimilem; sed refrigerans et magis ex acidis mineralibus, ut sudorum fons claudatur. Aëre aegrotus circumdetur minime calido, et quies circa illum strenua observetur. Conversatio cum aegro sit mitis et brevis, quum paroxysmus facile excitetur, ut mihi ipse aeger narravit, qui talis post insultus tumultuosos exacerbationis maximae reconvalescens meminit.

Sudores mitigandi altera est indicatio, quam optime explent acida mineralia, nec vero, ut Angli, opio adjuncto, quippe quo effectus alienetur, sed sejuncta, praesertimque potui commixta. — Remedia a variis medicis, ut excitatio sedetur cerebri, proposita paucis exponam. Vesicantia ad caput aut ad nucham; verum vix antagonismo irritationem excitare contigerit, imo periculum, ne malum congestione arte effecta augeatur, sudoribusque jam large manantibus fons adhuc aperiatur, accedit.

Stillicidia in caput omnino sunt rejicienda, quippe quae excitationem medullae augeant, itemque congestiones causentur, licet cutis indole, sudoribus manantibus contraindicationem non sistentibus.

Saepe in complicatione delirii trementis cum pneumonia Schoenlein Aqua opii usus est et semper bonum eventum vidi. Si Typho complicatum est, uterque morbus pro sua natura curandus est. Gravissima et periculosissima complicatio cerebri inflammatio invenitur; ubi apparatus antiphlogisticus adhibendus, et post inflammationem mitigatam opium porrigendum est.

Emetica a quibusdam ob abdominalium organorum affectionem adhibita, non sunt omittenda, nisi turgorem seorsum, qui complicationem quam pessimam advehere queat, excitent. Remedium specificum in delirio trementi a Weaston, Cless aliisque laudatur Herba digitalis purpurea, quod medicamen in congestionibus nonnunquam a Schoenlein et Wolff datum est, sed sine ullo effectu. — Stintzing laudat Kali carbon. Gran. vj ad horas duas cum Magnes. ust. gr. x, sed nondum alius hac methodo, nisi in nosocomio Altonae, cum eventu usus est.

b) Indicatio symptomatica. Licet valetudo rediret, tamen aegros valde debiles videmus et ad recidivas pronos; itaque caute de illis agendum. Complicationi congestionum, ut supra dictum, medendum, uti status apoplecticus, paralyticus suo quisque tractandus est modo.

c) Indicatio causalis in specie chronice tantum explenda, negativa est: aegro spirituosorum denegans abusum potuum atque omnem animi affectus excitandi occasionem auferens. At potatoribus inveteratis difficile est potus detrahendus; itaque surrogans aliquid demus, quod optimum novimus, mixturam ex Quassia, Simaruba cum subcarbonate potassae, quae sano abominanda, gustui potatorum depravato optime congruit.

Tremores chronici, phantasmata etc. opii usui cedunt, uti sudores acidis. Ceterum facilius est morbi acutissimi insultum prohibere, quam morbum protractum refutare.

---

Postremo huic dissertationi nosographiam delirii tremen- tis, quod mihimet ipsi observandi Halis occasio data erat, adjungam. Homo morbo affectus aetate erat annorum XXXII, valida statura, temperamento cholerico. Juvenili aetate non fuerat gravi morbo affectus. Ex longiore tempore po- tibus spirituosis fruebatur, iisque iram, cui saepe succumbe- bat, repellere volebat. Post vehementem ejusmodi iram aliquando subitus languor et lassitudo ipsum corripuit, grave et obtusum caput sensit, amisit edendi cupidinem. Medicus quidam, cujus auxilium petiit, emeticum ei praescripsit, quo adhibito omnia symptomata valde pessumdata sunt. Quo facto in nosocomium venit aegrotus d. 2. m. Junii.

Hic de perpetua capitis gravitate, de vertigine et pho- topsia querebatur, oculus fulgebat, incertus erat visus, pal- lidus faciei color. Item in hypogastrio sentiebat obtusum dolorem, qui augebatur tactu, pituita tecta erat lingua, os amarum, haud multa sitis. Diffluebat cutis sudore viscido et putido, frequentes, sed molles pulsus. Abhinc duos dies retenta erat alvus.

Propter insignem ventriculi affectionem et propter vehe- mentem, quae eodem tempore accedebat, nervorum affectio- nem, typhus abdominalis primus existimabatur morbus, cui medendi causa sequentia ordinabantur:

I. Rcp. Acid. muriat. diluti ʒvj.
Decocti Althaeae ℥vj.
Syr. rubi Id. ℥j.
M. D. S. Singulis horis cochlear unum sumatur.

II. Clysma emolliens.

III. Rcp. Ungu. neapolit.
Ol. Hyoscyami cocti aa ℥β.
M. D. S. Infricandum alvo.

IV. Hirudin. Nro. XVI. ad partes dolentes abdominis applicandae.

Ad vesperam omnia symptomata minus fiebant vehementia, levius erat caput, fere plane abdominis dolor cessabat, laxa alvus; sudore minus vexabatur aegrotus, tranquilliores erant pulsus, sed timidus adhuc et vagus visus, multoque crescebat membrorum tremor, quem tempore matutino jam animadverteramus. Sub mediam noctem surrexit aegrotus conclave relicturus, ut praeesset muneribus suis, et difficulter tantum leniri potuit; quum, quae intendebat, vi perficere vellet. Tranquilli manebant pulsus, sed magis micabant oculi, rubescebat paullulum facies, vehementiorque semper evadebat membrorum, praecipue manuum tremor, permanante sudore. Post noctem mediam aegrotus dormiebat horas aliquot, ex quo somno tranquillior expergiscebatur tempore matutino; semper artuum durabant tremor et sudor. Mutata erant faciei lineamenta praevalentibus stultitiae signis et stupido risu. Madida erat lingua, molles, sed paullo frequentiores pulsus.

Jun. III. Nocte praeterlapsa deliria ingressa, nulla febris, dolor in regione hepatica, vehemens tremor, itemque vehemens nervorum affectio, respectis morbi causis occasio-

nalibus, haud dubium faciebant delirium tremens. Hic igitur pulvis porrigebatur aegroto:

I. Rcp. Hydrargyri muriat. mit. gr. jj.
Sacch. albi ℈β.
M. F. pulvis. Dentur tal. dos. vjjj.
S. Omni bihorio pulverem unum.

II. Rcp. Opii puri ʒβ.
Fellis tauri ℥β.
M. F. Unguentum. D. S. Tonso infricandum capiti.

Jun. IV. Tranquillior erat aegrotus hodie, paullo minutus erat tremor, permanebant sudores, abierat dolor hepatis; duas alvi excretiones effecerat Calomel; tranquilli pulsus, madida lingua erat. Praescripta pridie remedia repetebantur. Sed nocturno tempore exacerbescebat delirium; muneribus suis consuetis satisfacere volebat aegrotus, perpetuo de instrumentis suis loquebatur, infestatus et in mola inclusus sibi videbatur, lectum relinquebat caeterosque aegrotos e somno excitabat.

Jun. V. Perpetuo durant morbi symptomata, crescebant delirium et tremor, deformata erat facies, semperque stultus videbatur aegrotus, mandebat et labia sua mordebat. Sudor vehemens et valde putidus, pulsus tranquilli semper, non major sitis. Prorsus abierat dolor hepatis, alvusque laxa, quam ob rem omittebatur Calomel. Cum vero opium in unguentis adhibitum minuere non posset morbum, interne

nunc porrigebatur, conjunctum cum acido phosphorico, quod minueret vehementes sudores.

Rcp. Tinct. opii smpl.
Acidi phosphor. dil. aa ʒjjj.
M. D. S. Dimidia hora in aqua accipiat sedecim guttas.

Jun. VI. Sine quiete erat nox, deliria vehementia adhuc, quamquam ʒjjj Tinct. opii acceperat; graves contra advenere in caput congestiones, medicamentis magis, ut videbatur, quam ipsi morbo adscribendae. Praeterea aegrotus de dolore circa hepar, de ore amaro, de aucta siti querebatur, aderant adhuc sudores, paullo minutus erat tremor, madida lingua, aliquanto frequentiores pulsus. Cum porrectum pridie opium morbi symptomata non solum non minueret, sed etiam congestiones in caput efficeret, omittebatur, ne illae augerentur, et rursus adhibebatur unguentum jam praescriptum:

Rcp. Opii puri ʒjβ.
Fellis tauri ℥j.
M. D. S. Infricandum capiti.

Interne accipiebat aegrotus remedia quae e capite derivarent congestiones ad intestina:

Rcp. Rad. Rhei ʒjβ.
coq. c. Aq. font. q. s. Colat. ℥vj adde
Tartari natronat. ℥β.
Syr. simpl. ℥j.
M. D. S. Singulis horis accipiat cochlear j.

Horis pomeridianis dormiebat et postea ad vesperam tranquilliorem se sentiebat, minutum erat delirium et tremor, levius caput, non amplius ex congestionibus facies adeo rubescebat. Sub vesperam dormire rursus coepit.

Jun. VII. Per totam noctem tranquille dormiebat aegrotus, et hodie expergiscebatur refectus et hilaris, discesserunt deliria, moderatus erat tremor, ac minus deformis et perturbata facies. Aegrotus adhuc de dolore in hepate, de siti et oris ardore querebatur, et lingua gingivaque salivationis signa animadvertebantur. Paullo minutus erat sudor, semel alvi facta evacuatio.

Prorsus omisso hodie opio, praescribuntur, ne nimia veniat alvi resolutio et officiatur sudori, haec remedia:

Rcp. Rad. rhei ʒj.
Fiat decoct. ℥vj.
Colat. adde
Acidi sulphur. diluti ℈jj.
Syr. simpl. ℥j.
M. D. S. Singulis horis accipiat cochlear j.

Jun. VIII. Aegrotus per noctem iterum tranquille dormiebat, prorsus levatum erat caput, non amplius turbata

facies, plane abierant tremor et dolor abdominis, aquosae eveniebant alvi evacuationes, redibat edendi cupido. Non aliter ac somnii conditionis suae praegressae meminit et aegrotus. Pro potu ordinario tantum accipiebat:

Rcp. Syr. cerasor. acidor. ℥jv.
Acidi phosphor. ʒj.
M. D. S. Aquae immiscenda.

Jun. IX. Omnia symptomata, tremor, sudores, capitis gravitas etc., prorsus evanuerant, et aeger reconvalescentiae intrans stadium, sola ex mercurii usu orta salivatione vexabatur.

Jun. XX. Sanus e clinico dimittebatur aegrotus.

## LITERATURA.

I. F. Cartheuser D. de noxa et utilitate ebrietatis, Francof. 1740. 4.

P. S. Horus, Abhandlung von der Trunkenheit. Stralsunt 1747.

Sir. John Sinclair Obs. sur les liqueurs fermentées (Annal. de la Soc. de Médec. de Montpellier, T. 22. p. 83.)

P. F. Gmelin D. de noxis ex abusu potuum spirituosorum, Tub. 1767. 4.

Rob. Dassie an ess. on spirituous liquors, with regard to their effects on health. London 1770. 8.

A. Fothergill Ess. on the abuse of spirit. liquors; Bath 1796. 8.

Kruft D. de abusu spirituosorum et morbis ab eo provenientibus. Erf. 1798.

I. H. Kopp. Denkwürdigkeiten in der ärztl. Praxis; Frankf. 1830. 8.

K. Krauss, D. de spirituos. e tuberibus Solani confect. Berol. 1835. 8.

Th. Sutton, Abhandlung üher das Delir. trem. Aus dem Engl. von Ph. Heineken, Bremen 1820.

G. Barkhausen, Beobachtungen über den Saüferwahnsinn. Bremen 1828.

P. Schmidt, Beiträge zur Monographie über d. Delir. trem. in d. Mittheilungen a. d. Gebiete der gesammten Heilkunde. Hamb. 1830. Bd. 1.

Pauli d. Delir. trem. nach eigenen Beobachtungen dargestellt, Rust's Magazin Bd. 30. S. 378. —

# V I T A.

Anno h. s. XVIIII die IV mensis Aprilis natus sum ego SIGMUNDUS SIMON FREUND in pago Silesiaco, quem dicunt Berunum-Zabze; patre SALOMONE et matre DOROTHEA e gente BRUCK, quos optimos adhuc vivos veneror. Fidei veteri addictus, primis literarum elementis imbutus, Gymnasium Ratiborense, directore HAENISCH et prorectore MUELLER, viris quam maxime de me meritis, florens, decem per annos frequentavi, quo Gymnasio cum testimonio maturitatis relicto, sub finem mensis Martii anni XXXX h. s. ad hanc almam literarum sedem Fridericam-Guilelmam Berolinensem me contuli, ibique a rectore magnifico Ill. TWESTEN in civium academicorum numerum receptus, apud Ill. HECKER, gratiosi ordinis medicorum decanum maxime spectabilem, nomen professus sum. Per annos inde duos hasce scholas philosophicas et medicas audivi:

## I. PHILOSOPHICAS.

Cel. BENEKE de logice; Cel. TURTE de physice et chemia experimentali; Ill. LINK de botanice; Ill. LICHTEN-

STEIN de zoologia; Ill. WEISS de mineralogia; Cel. MICHELET de immortalitate animi; Exp. BENARY de Persio poëta.

## II. MEDICAS.

Ill. HECKER de medicinae encyclopaedia et methodologia; Ill. SCHLEMM de osteologia, de anatomia organorum sensuum; Ill. MUELLER de anatomia corporis humani, de physiologia, qui quoque una cum Ill. SCHLEMM in arte cadavera rite secandi dux mihi fuit; Ill. SCHOENLEIN de pathologia et therapia speciali; Ill. JUENGKEN de chirurgia.

Tum vernali tempore anni MDCCCXLII. universitatem Halensem adii, ubi a prorectore magnifico Ill. BERNHARDY, decano spectatissimo D'ALTON receptus per semestre Ill. KRUKENBERG scholis clinicis medicis, Ill. BLASIUS chirurgicis interfui.

Tempore autumnali ad hanc almam musarum sedem reversus, ab Ill. de RAUMER, rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, nomen dedi Ill. MUELLER, decano maxime spectabili.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis et obstetriciis interfui virorum Ill. SCHOENLEIN, JUENGKEN, ROMBERG, BUSCH, KLUGE.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, maximas ago gratias, pio gratoque animo eorum memoriam semper servaturus.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

## THESES.

1. Anatomia physiologiae basis et propositio non est habenda.
2. Syphilis sine mercurio est curanda.
3. In sananda chlorosi emmenagoga prorsus rejicienda sunt.
4. Tuberculosis et Scrophulosis idem est.
5. Delirium tremens tantum opio sanatur.
6. Philosophia obiter libata ducit a Deo; penitus exhausta ducit ad eum.
7. Ars musica est sonorum philosophia.